Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 475
Quelle:
Copyright:

Abbas noſter in deſcribendis utriusque *Indiae* regionibus et Incolarum moribus, ex eorum maxime relatu, qui Evangelium illuc intulere, quibus de rebus nunc quidem longe exploratiora tenemus. Opuſculum tamen poſtremum vel hodie non ſine voluptate legi poſſe putem, ſi modo integrum extaret in *Codice*. Sed nempe *Cap.* XIII. abrumpitur. Autoris Αυτογραφον eſſe totum *Codicem* facile adparet, id, quod et de II. Sequentibus dictum velim.

CLXIX. VIII. 9. 9

586 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 340. inſcribitur: *Numerorum Allegoriæ et Myſteria XX. Libris explicata. Auctore R. P. D. Carolo Stengelio Abbate Anbuſano Ord. S. Ben. Opus omnibus SS. Litterarum Studioſis, maxime vero Verbi Dei Concionatoribus apprime utile et maxime neceſſarium.* Cenſetur hoc Opus πολυιστορικον in *Catalogo* ab ipſo Autore confecto et *ſupracit.* inter ea, quae *Prælum proxime exſpectant*, praefertque p. 2. Adprobationem Vicarii gen. jam memorati datam *Auguſtæ 7. Junij* 1649. Cur vero lucem non viderit, ignoro. In *Praef.* ait *Stengelius*, ſe illud in exilio conſtitutum conſcripſiſſe. Exactus enim ex Abbatia ſua primum 1632. et iterum 1641. reliquum laborioſiſſimae vitae ab an. 1647. ad an. emortualem 1663. in Coenobio *Auguſt.* ad D. *Udalricum* perduxit, ut pluribus habes apud *Ziegelbauerum cit.* P. III. p. 386. Congeſſit porro in Opus iſtud maximam cum ſacrae, tum profanae Antiquitatis copiam, de qua, uti et de Tractationis methodo, quo praecipere poſſis, *Libri I. 21. Capitibus* conſtantis Argumenta adſcribam:

I. *De laudibus numerorum artisque Arithmeticae.* II. *Nonnulla de numeris ex Philoſophia ſacra Franc. Valeſii.* III. *Diſcrimen inter numerum et multitudinem, ejusque Significationes.* IV. *Quid ſit eſſe in numero, et nullo numero. Item numeri variæ ſignificationes.* V. *De variis Numeri diviſionibus.* VI. *De numero ſphærali ſeu circulari.* VII. *De Vnitate.* VIII. *Vnus calamus apud Ezechielem quid ſignificet.* IX. *De unitate Eccleſiæ variæ Allegoriæ.* X. *Vnitas Allegoriæ ad mundum accommodata.* XI. *Vnum in quantum primum vel principium ſignificat per alpha ſæpe expreſſum.* XII. *Alia unitatis myſteria et allegoriæ.* XIII. *Quid* uno ore, *item* quaſi vir unus *in ſacris litteris.* XIV. *Vnus ſerit, alius comedit; item unus ædificans et unus deſtruens; unus orans et unus maledicens.* XV. *Excutitur dictum Sapientis:* Qui in uno peccaverit multa bona perdet. XVI. *A ſcintilla una augetur ignis.* XVII. *De unitate fidelium: item varia unitatis et concordiæ commoda.* XVIII. *Allegoriæ aliquot ad unitatem ſpectantes: de Joſepho pallium relinquente: tranſitu maris rubri: de manna et ſale in omni*

ſacri-